



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1678**

Ejusdem fragmenta libri de divinitate Spiritus sancti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14688**

## FRAGMENTA

## Libri de divinitate Spiritus sancti.

*S*anctus Avitus in illo libro quem de divinitate Spiritus sancti contra Gundobadum Arrianum Regem scripsit, processionem Spiritus sancti à patre & filio ita declarat.

De divinitate Spiritus sancti, quem nec factum legimus nec genitum nec creatum, Deus est, Deus qui operatur omnia in omnibus. Et eodem loco: *Omnia autem hæc operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Et Petrus in actibus Apostolorum: *Quid convenit, inquit, inter vos mentiri spiritui sancto? Et post: Non est mentitus hominibus, sed Deo.* Item alio loco: *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Et alibi: *Si quis spiritum Dei non habet, hic non est eius.* Nos verò spiritum sanctum dicimus à filio & patre procedere.

Vide opera  
Aviti pag.  
181.

1. Cor. 12:

Act. 5.

1. Cor. 3:

Rom. 8:

*Idem Avitus in eodem libro.*

Ipse certè per se Dominus, Spiritum, inquit, veritatis qui à patre procedit. Enimvero non dicendo processit, sed procedit, non tempus procedentis docuit, sed præterito futuròque submoto, sub interminabilis æternitatis præsentia virtutem processionis ostendit; ut sicut est proprium spiritui sancto à patre filioque procedere, istud catholica fides etiamsi renuentibus non persuaserit, in suæ tamen disciplinæ regula non excedit.

104. 152

*Item Avitus.*

Spiritum sanctum æquè patris & filii esse confiteor, eúmque à patre vel filio similiter mitti, quod mecum prolata quoque Apostoli sententia videtur adprobasse. Nam legimus: *Paracletus quem mittet pater in nomine meo.* Et alio loco: *Quem ego mittam vobis à patre.* Nec tamen, ut nuper habita conlocutione tractavimus, scinditur una personarum discretione divinitas. Quia si spiritus, ut adquiescitis, à patre filioque vel mittitur vel procedit, non potest missus mittensque misceri, & ex quo procedit procedensque confundi.

Ioa. 14. &amp; 15.

Vide to. v. Spicileg. Dacher. pag. 115.

## FRAGMENTA EPISTOLARVM

## PAVLINI

## EPISCOPI AQUILEIENSIS.

*Paulinus ad Carolum Regem.*

Math. 5.

Luc. 10.

**M**ONEO te & deprecor obnixè, piissime Princeps, per eum qui Discipulis & Apostolis suis, quorum indigni vicem gerimus, ait, *Vos estis sal terra, & Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit,* ut tu pro nobis contra visibiles hostes pro Christi amore Domino opitulante dimices, & nos pro te contra invisibiles hostes Domini deprecantes potentiam spiritualibus armis pugnemus, liceátque Domini sacerdotes juxta evangelicas & apostolicas canonicasque regulas simpliciter Domino deservire & militare in solis castris dominicis: quia juxta ejusdem Domini vocem ne-